# DE ASPARAGO▸ CAP▸ XVII▸

C

## NOMINA.

*Asparagus unde dictus.*

ΑΣΠΑΡΑΓΟΣ græcè, Asparagus latinè uocatur. Officinæ extrita priore litera Sparagum nominãt, Germani Spargen. Sic autem potissimũ altilis satiuusq́, de quo nobis hic sermo est, nominatur, eò quod coliculos hos, qui prima germinatione prodeunt è terra, præcipuos habeat.

## FORMA.

E radiculis thyrsus primum exilit, cacumine in torulos turbinato, quod tandem increscens explicatur in prægrandes ramos, quibus insunt folia capillamenti modo, & ut Fœniculi tenuata, quæ per uetustatem occalescunt in spinulas. Florem fundit paruulum, quo decusso baccæ dependent primum uirides, quæ tandem maturitate rubescunt, seminibus refertæ. Radices spongiosæ, longæ & rotundæ.

## LOCVS.

In hortis seritur & plantatur, inq́ nõnullis locis lapidosis sponte prouenit.

## TEMPVS.

Thyrso primũ cum uer appetit emicante uiret, spica tum cibis expetita. Recentes hos thyrsulos in uoluptatem gulæ uerterunt helluones. Hodie decoctus in iure Asparagus, aceto, sale, & oleo consperſus, magno gulæ delectamento comeditur, & in principum delicijs est. Semen suo legitur tempore, nimirum æstate.

## TEMPERAMENTVM.

Abstergendi facultatem habet Asparagus, idq́ citra manifestam aut caliditatem, aut frigiditatem.

## VIRES. EX DIOSCORIDE.

Asparagi coliculi cocti & comesti aluum molliunt, & urinam mouent. Radicum uero decoctum, difficultati urinæ, regio morbo correptis, nephriticis, ischiadicis:
D cum uino autem idem decoctum phalangiorum morsibus auxiliatur. Si decoctum super dente retineatur, eius dolori medetur. Facit ad eadem omnia semen etiam potum. Ferunt mori canes decoctum eius bibentes.

## EX GALENO.

Renes ac iecur infarctu liberat Asparagus, & maximè herbæ ipsius radices & semen. Quin & dentiũ dolores sanat siccitatis nomine, quam uel maximè dentes requirunt.

## EX PLINIO.

Vtilissimus stomacho cibus, ut traditur, Asparagi. Cumino quidem addito inflationes stomachi coliq́ discutiunt. Iidem oculis claritatẽ adferunt. Ventrem leniter molliunt. Pectoris & spinę doloribus, intestinorumq́ uitijs prosunt. Vino cum coquuntur addito, lumborũ & renum dolores mitigant. Venerem stimulant. Vrinam cient utilissimè, præterquã quod uesicam exulcerant. Radix quoq́ plurimorum prædicatione trita, & in uino albo pota, calculos exturbat. Quidam ad uuluæ dolorem, radicem cum uino dulci propinant. Eadem in aceto decocta contra elephantiam proficit. Asparago trito cum oleo perunctum pungi ab apibus negant.

## EX SIMEONE SETHI.

Asparagus olerum omniũ maximè nutrit. Proinde si quis dicat eius naturã positam esse mediã inter olera & carnes, non procul à uero aberrabit, propter nutriendi facultatem plantarũ & carnium, quæ similiter se habet. Vrinam quoq́ cit, & obstructiones iecoris & renum aperit: id quod manifestũ ex eo, quod urinæ odorem in suum transmutat, ut hunc qui aliquantulũ eius ederint, sentiant. Neq́ quispiam admiretur illum statim urinæ suam qualitatẽ indere: nam & rubea tinctorum si manibus contineatur, urinam in suum colorem transmutat: quod paradoxum etiam esse uidetur, ut extrinsecus impositum urinam tingat. Asparagi colicis & renum affectibus, qui à pituita proueniunt, auxiliantur: semen genitale augent, & celerius quàm reliqua olera in sanguinem mutantur. Menses ciunt. Cordis palpitationib. succurrunt: dentibus prosunt: sed nõ semper stomacho boni sunt, propterea garo & oleo conditis, cum mediocriter cocti sunt, ijs uti oportet.

DE ANONE.



ANONIS